

OVIDE

IBIS (642 vers)

v.1 Tempus ad hoc lustris bis jam mihi quinque peractis,
 2 omne fuit Musae carmen inerme meae,
 3 nullaque, quae possit, scriptis tot milibus extat
 4 littera Nasonis sanguinolenta legi,
 5 nec quemquam nostri nisi me laesere libelli :
 6 artificis periit cum caput Arte sua.
 7 Unus (et hoc ipsum est injuria magna) perennem
 8 candoris titulum non sinit esse mei.
 9 Quisquis is est (nam nomen adhuc utcumque tacebo),
 10 cogit inadsuetas sumere tela manus.
 11 Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
 12 non sinit exilio delituisse meo ;
 13 vulneraque immitis requiem quaerentia vexat,
 14 jactat et in toto nomina nostra foro ;
 15 perpetuoque mihi sociatam foedere lecti
 16 non patitur vivi funera flere viri,
 17 cumque ego quassa meae complectar membra carinae,
 18 naufragii tabulas pugnat habere mei
 19 et, qui debuerat subitas extinguere flammam,
 20 hic praedam medio raptor ab igne petit.
 21 Nititur ut profugae desint alimenta senectae.
 22 Heu ! quanto est nostris dignior ipse malis !
 23 Di melius, quorum longe mihi maximus ille est
 24 qui nostras inopes noluit esse vias.
 25 Huic igitur meritas grates, ubicumque licebit,
 26 pro tam mansueto pectore semper agam.
 27 Audiet hoc Pontus, faciet quoque forsitan idem
 28 terra sit ut propior testificanda mihi.
 29 At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem,
 30 quod licet hei ! misero, debitus hostis ero.
 31 Desinet esse prius contrarius ignibus umor,
 32 junctaque cum luna lumina solis erunt,
 33 parsque eadem caeli Zephyros emittet et Euros,
 34 et gelido tepidus flabit ab axe Notus,
 35 et nova fraterno veniet concordia fumo
 36 quem vetus accensa separat ira pyra,
 37 et ver autumno, brumae miscebitur aestas,
 38 atque eadem regio vesper et ortus erit,
 39 quam mihi sit tecum positus, quae sumpsimus armis,
 40 gratia commissis, improbe, rupta tuis.
 41 Pax erit haec nobis, donec mihi vita manebit,
 42 cum pecore infirmo quae solet esse lupis.
 43 Prima quidem coepto committam proelia versu,
 44 non soleant quamvis hoc pede bella geri,
 45 utque petit primo plenum flaventis harenae
 46 nondum calfacti militis hasta solum,
 47 sic ego te nondum ferro jaculabor acuto,

48 protinus invisum nec petet hasta caput,
 49 et neque nomen in hoc nec dicam facta libello
 50 teque brevi qui sis dissimulare sinam.
 51 Postmodo, si perges, in te mihi liber iambus
 52 tincta Lycambeo sanguine tela dabit.
 53 Nunc quo Battiades inimicum devovet Ibin,
 54 hoc ego devoveo teque tuosque modo,
 55 Utque ille, historiis involvam carmina caecis,
 56 non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.
 57 Illius ambages imitatus in Ibide dicar
 58 oblitus moris iudiciiue mei,
 59 et, quoniam qui sis nondum quaerentibus edo,
 60 Ibidis interea tu quoque nomen habe,
 61 utque mei versus aliquantum noctis habebunt,
 62 sic vitae series tota sit atra tuae !
 63 Haec tibi natali facito Janique kalendis
 64 non mentituro quilibet ore legat.
 65 Di maris et terrae quique his meliora tenetis
 66 inter diversos cum Jove regna polos,
 67 huc, precor, huc vestras omnes advertite mentes
 68 et sinite optatis pondus inesse meis,
 69 ipsaque tu, Tellus, ipsum cum fluctibus Aequor,
 70 ipse meas Aether accipe summe preces ;
 71 sideraque et radiis circumdata Solis imago
 72 Lunaque, quae numquam quo prius orbe micas,
 73 Noxque tenebrarum specie reverenda tuarum,
 74 quaque raturum triplici pollice netis opus,
 75 quique per infernas horrendo murmure valles
 76 imperjuratae laberis amnis aquae,
 77 quasque ferunt torto vittatis angue capillis
 78 carceris obscuras ante sedere fores,
 79 vos quoque, plebs Superum, Fauni Satyrique Laresque
 80 fluminaque et nymphae semideumque genus,
 81 denique ab antiquo divi veteresque novique
 82 in nostrum cuncti tempus adeste chaos,
 83 carmina dum capiti male fido dira canuntur
 84 et peragunt partes ira dolorque suas.
 85 Adnite optatis omnes ex ordine nostris
 86 et sit pars voti nulla caduca mei.
 87 Quaque precor fiant, ut non mea dicta, sed illa
 88 Pasiphaes generi verba fuisse putet,
 89 quasque ego transiero poenas, patiatur et illas.
 90 Plenius ingenio sit miser ille meo,
 91 Neve minus noceant fictum execrantia nomen
 92 vota minus magnos commoveantve deos.
 93 Illum ego devoveo, quem mens intellegit Ibin,
 94 qui se scit factis has meruisse preces.
 95 Nulla mora est in me, peragam rata vota sacerdos.
 96 Quisquis ades sacris, ore favete, meis,
 97 quisquis ades sacris, lugubria dicite verba
 98 et fletu madidis Ibin adite genis,
 99 ominibusque malis pedibusque occurrite laevis
 100 et nigrae vestes corpora vestra tegant.
 101 Tu quoque quid dubitas ferales sumere vittas ?
 102 Jam stat, ut ipse vides, funeris ara tui,
 103 pompa parata tibi est ; votis mora tristibus absit.
 104 Da jugulum cultris, hostia dira, meis.
 105 Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas,

106 deneget adflatus ventus et aura suos ;
107 nec tibi sol calidus nec sit tibi lucida Phoebe,
108 destituunt oculos sidera clara tuos,
109 nec se Volcanus nec se tibi praebeat aer,
110 nec tibi det tellus nec tibi pontus iter.
111 Exul, inops erres alienaque limina lustres
112 exiguumque petas ore tremente cibum.
113 Nec corpus querulo nec mens vacet aegra dolore,
114 noxque die gravior sit tibi, nocte dies,
115 sisque miser semper nec sis miserabilis ulli ;
116 gaudeat adversis femina virque tuis !
117 Accedat lacrimis odium, dignusque putere
118 qui, mala cum tuleris plurima, plura feras,
119 Sitque, quod est rarum, solito defecta favore
120 fortunae facies invidiosa tuae,
121 causaque non desit, desit tibi copia mortis ;
122 optatam fugiat vita coacta necem
123 luctatusque diu cruciatos deserat artus
124 spiritus et longa torqueat ante mora.
125 Evenient. Dedit ipse mihi modo signa futuri
126 Phoebus et a laeva maesta volavit avis.
127 Certe ego quae voveo superos motura putabo
128 speque tuae mortis, perfide, semper alar ;
129 Et prius hanc animam nimium tibi saepe petitam
130 auferet illa dies quae mihi sera venit
131 quam dolor hic umquam spatio evanescere possit,
132 leniat aut odium tempus et hora meum.
133 Pugnabunt arcu dum Thraces, Iazyges hasta,
134 dum tepidus Ganges, frigidus Hister erit,
135 robora dum montes, dum mollia pabula campi,
136 dum Tiberis liquidas Tuscus habebit aquas,
137 bella geram tecum nec mors mihi finiet iras,
138 saeva sed in manes manibus arma dabo.
139 Tum quoque, cum fuero vacuas dilapsus in auras,
140 exanimis mores oderit umbra tuos ;
141 tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
142 insequar et vultus ossea forma tuos.
143 Sive ego, quod nollem, longis consumptus ab annis,
144 sive manu facta morte solutus ero,
145 sive per immensas jactabor naufragus undas
146 nostraque longinquus viscera piscis edet,
147 sive peregrinae carpent mea membra volucres,
148 sive meo tinguent sanguine rostra lupi,
149 sive aliquis dignatus erit supponere terrae
150 et dare plebeio corpus inane rogo,
151 quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris
152 et tendam gelidas ultor in ora manus.
153 Me vigilans cernes, tacitis ego noctis in umbris
154 excutiam somnos visus adesse tuos.
155 Denique, quidquid ages, ante os oculosque volabo
156 et querar et nulla sede quietus eris.
157 Verbera saeva dabunt sonitum nexaeque colubris
158 conscia fumabunt semper ad ora faces.
159 His vivus furiis agitabere, mortuus isdem,
160 et brevior poena vita futura tua est.
161 Nec tibi continget funus lacrimaeque tuorum ;
162 indeploratum proiciere caput,
163 carnificisque manu populo plaudente traheris

164 infixusque tuis ossibus uncus erit.
 165 Ipsae te fugient quae carpunt omnia, flammae,
 166 respuet invisum justa cadaver humus,
 167 unguibus et rostro crudus trahet ilia vultur
 168 et scindent avidi perfida corda canes,
 169 deque tuo fiet, licet hac sis laude superbus,
 170 insatiabilibus corpore rixa lupis.
 171 In loca ab Elysiis diversa fugabere campis,
 172 quasque tenet sedes noxia turba coles :
 173 Sisyphus est illic saxum volvensque petensque,
 174 quique agitur rapidae vinctus ab orbe rotae,
 175 quaeque gerunt umeris perituras Belides undas,
 176 exulis Aegypti, turba cruenta, nurus.
 177 Poma pater Pelopis praesentia quaerit et idem
 178 semper eget, liquidis semper abundat aquis ;
 179 jugeribusque novem summus qui distat ab imo
 180 visceraque assiduae debita praebet avi.
 181 Hic tibi de Furiis scindet latus una flagello,
 182 ut sceleris numeros confiteare tui,
 183 altera Tartareis sectos dabit anguibus artus,
 184 tertia fumantes incoquet igne genas.
 185 Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
 186 Aeacus in poenas ingeniosus erit :
 187 in te transcribet veterum tormenta virorum,
 188 sontibus antiquis causa quietis eris.
 189 Sisyphe, cui tradas revolubile pondus habebis ;
 190 versabunt celeres nunc nova membra rotae ;
 191 hic et erit ramos frustra qui captet et undas,
 192 hic inconsumpto viscere pascet aves,
 193 nec mortis poenas mors altera finiet hujus,
 194 horaque erit tantis ultima nulla malis.
 195 Inde ego pauca canam, frondes ut siquis ab Ida
 196 aut summam Libyco de mare carpat aquam.
 197 Nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla,
 198 quotve ferat dicam terra Cilissa crocos,
 199 nec, cum tristis hiems Aquilonis inhorruit alis,
 200 quam multa fiat grandine canus Athos,
 201 nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,
 202 ora licet tribuas multiplicata mihi.
 203 Tot tibi vae ! misero venient talesque ruinae
 204 ut cogi in lacrimas me quoque posse putem.
 205 Illae me lacrimae facient sine fine beatum ;
 206 dulcior hic risu tunc mihi fletus erit.
 207 Natus es infelix (ita di voluere) nec ulla
 208 commoda nascenti stella levisve fuit :
 209 non Venus affulsit, non illa Juppiter hora,
 210 Lunaque non apto Solque fuere loco,
 211 nec satis utiliter positos tibi praebuit ignes
 212 quem peperit magno lucida Maia Jovi.
 213 Te fera nec quicquam placidum spondentia Martis
 214 sidera presserunt falciferique senis.
 215 Lux quoque natalis, ne quid nisi triste videres,
 216 turpis et inductis nubibus atra fuit :
 217 haec est in fastis cui dat gravis Allia nomen,
 218 quaeque dies Ibin, publica damna tulit.
 219 Qui simul impura matris prolapsus ab alvo
 220 Cinyphiam foedo corpore pressit humum,
 221 sedit in adverso nocturnus culmine bubo

222 funereoque graves edidit ore sonos.
 223 Protinus Eumenides lavere palustribus undis,
 224 qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis,
 225 pectoraque unxerunt Erebeae felle colubrae,
 226 terque cruentatas increpuere manus,
 227 gutturaque imbuerunt infantia lacte canino
 228 (hic primus pueri venit in ora cibus ;
 229 perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus,
 230 latrat et in toto verba canina foro),
 231 membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
 232 a male deserto quos rapuere rogo,
 233 et, ne non fultum nuda tellure jaceret,
 234 molle super silices imposuere caput,
 235 jamque recessurae viridi de stipite factas
 236 admorunt oculos usque sub ora faces.
 237 Flebat, ut est fumis infans contactus amaris,
 238 de tribus est cum sic una locuta soror :
 239 "Tempus in immensum lacrimas tibi movimus istas
 240 quae semper causa sufficiente cadent."
 241 Dixerat, at Clotho jussit promissa valere,
 242 nevit et infesta stamina pulla manu,
 243 et, ne longa suo praesagia diceret ore,
 244 "Fata canet vates qui tua", dixit, "erit."
 245 Ille ego sum vates ! Ex me tua vulnera disces,
 246 dent modo di vires in mea verba suas
 247 carminibusque meis accedant pondera rerum,
 248 quae rata per luctus experiere tuos.
 249 Neve sine exemplis aevi cruciere prioris :
 250 sint tua Trojanis non leviora malis,
 251 quantaque clavigeri Poeantius Herculis heres,
 252 tanta venenato vulnera crure geras.
 253 Nec levius doleas quam qui bibit ubera cervae
 254 armatique tulit vulnus, inermis opem,
 255 quique ab equo praeceps in Aleia decidit arva,
 256 exitio facies cui sua paene fuit.
 257 Id quod Amyntorides videas trepidumque ministro
 258 praetemptes baculo luminis orbus iter,
 259 nec plus aspicias quam quem sua filia rexit,
 260 expertus scelus est cujus uterque parens,
 261 qualis erat, postquam est iudex de lite jocosa
 262 sumptus, Apollinea clarus in arte senex,
 263 qualis et ille fuit, quo praecipiente columba
 264 est data Palladiae praevia duxque rati,
 265 quique oculis caruit per quos male viderat aurum,
 266 inferias nato quos dedit orba parens,
 267 pastor ut Aetnaeus, cui casus ante futuros
 268 Telemus Eurymides vaticinatus erat,
 269 ut duo Phinidae, quibus idem lumen ademit
 270 qui dedit, et Thamyrae Demodocique caput.
 271 Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas
 272 subsecuit partes unde creatus erat.
 273 Nec tibi sit melior tumidis Neptunus in undis
 274 quam cui sunt subitae frater et uxor aves,
 275 sollertique viro, lacerae quem fracta tenentem
 276 membra ratis Semeles est miserata soror.
 277 Vel tua, ne poenae genus hoc cognoverit unus,
 278 viscera diversis scissa ferantur equis,
 279 vel quae qui redimi Romano turpe putavit

280 a duce Cinyphio pertulit, ipse feras.
 281 Nec tibi subsidio praesens sit numen, ut illi
 282 cui nil Rhoetei profuit ara Jovis ;
 283 utque dedit saltus a summa Thessalus Ossa,
 284 tu quoque saxoso praecipitere jugo,
 285 aut, velut Eurylochi qui sceptrum cepit ab illo,
 286 sint artus avidis anguibus esca tui,
 287 vel tua maturet, sicut Minoia, fata
 288 per caput infusae fervidus umor aquae,
 289 utque parum mitis, sed non impune, Prometheus,
 290 aérias volucres sanguine fixus alas,
 291 aut, ut Echekratides magno ter ab Hercule quintus,
 292 caesus in immensum prociare fretum,
 293 aut, ut Amyntiaden, turpi dilectus amore
 294 oderit et saevo vulneret ense puer.
 295 Nec tibi fida magis misceri pocula possint
 296 quam qui cornigero de Jove natus erat,
 297 more vel intereas capti suspensus Achaei
 298 qui miser aurifera teste pependit aqua,
 299 aut ut Achilliden cognato nomine clarum,
 300 opprimat hostili tegula jacta manu ;
 301 nec tua quam Pyrrhi felicius ossa quiescant,
 302 sparsa per Ambracias quae jacuere vias,
 303 nataque ut Aeacidae, jaculis moriaris adactis
 304 (non licet hoc Cereri dissimulare sacrum),
 305 utque nepos dicti nostro modo carmine regis,
 306 cantharidum sucos dante parente bibas.
 307 Aut pia te caeso dicatur adultera, sicut,
 308 qua cecidit Leucon vindice, dicta pia est,
 309 inque pyram tecum carissima corpora mittas,
 310 quem finem vitae Sardanapallus habet,
 311 utque Jovis Libyci templum violare parantes,
 312 acta noto vultus condant harena tuos,
 313 utque necatorum Darei fraude secundi,
 314 sic tua subsidens devoret ora cinis,
 315 aut, ut olivifera quondam Sicyone profecto,
 316 sit frigus mortis causa famesque tuae,
 317 aut, ut Atarnites insutus pelle juvenci,
 318 turpiter ad dominum praeda ferare tuum,
 319 inque tuo thalamo ritu jugulere Pheraei,
 320 qui datus est leto conjugis ense suae,
 321 quosque putas fidos, ut Larisaeus Alevas,
 322 vulnere non fidos experiare tuo,
 323 utque Milo, sub quo cruciata est Pisa tyranno,
 324 vivus in occultas praecipiteris aquas,
 325 quaeque in Adimantum Phialesia regna tenentem
 326 a Jove venerunt, te quoque tela petant,
 327 aut, ut Amastriacis quondam Lenaeus ab oris,
 328 nudus Achillea destituaris humo,
 329 utque vel Eurydamas ter circum busta Thrasylli
 330 est Larisaeis raptus ab hoste rotis,
 331 vel qui, quae fuerat tutatus moenia saepe,
 332 corpore lustravit non diuturna suo,
 333 utque novum passa genus Hippomeneia poenae
 334 tractus in Actaea fertur adulter humo,
 335 sic, ubi vita tuos invisita reliquerit artus,
 336 ultores rapiant turpe cadaver equi.
 337 Viscera sic aliquis scopulus tua figat, ut olim

338 fixa sub Euboico Graia fuere sinu,
 339 utque ferox periit et fulmine et aequore raptor,
 340 sic te mersuras adjuvet ignis aquas ;
 341 Mens quoque sic furiis vecors agitetur, ut illi
 342 unum qui toto corpore vulnus habet,
 343 utque Dryantiadae Rhodopeia regna tenenti,
 344 in gemino dispar cui pede cultus erat,
 345 ut fuit Oetaeo quondam generoque draconum
 346 Tisamenique patri Calliroesque viro !
 347 Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
 348 qua potuit Tydeus erubuisse nuru,
 349 quaeque sui Venerem junxit cum fratre mariti
 350 Locris, in ancillae dissimulata nece !
 351 Tam quoque di faciant possis gaudere fideli
 352 conjuge quam Talai Tyndareique gener,
 353 quaeque parare suis letum patruelibus ausae
 354 Belides assidua colla premuntur aqua !
 355 Byblidos et Canaces, sicut facis, ardeat igne,
 356 nec nisi per crimen sit tibi fida soror ;
 357 filia si fuerit, sit quod Pelopea Thyesti,
 358 Myrrha suo patri Nyctimeneque suo,
 359 neve magis pia sit capitique parentis amica
 360 quam sua vel Pterelae vel tibi, Nise, fuit,
 361 infamemque locum sceleris quae nomine fecit
 362 pressit et inductis membra paterna rotis.
 363 Ut juvenes pereas, quorum fastigia vultus
 364 membraque Pisaeae sustinere fores,
 365 ut qui perfusam miserorum saepe procorum
 366 ipse suo melius sanguine tinxit humum,
 367 proditor ut saevi periit auriga tyranni,
 368 qui nova Myrtoae nomina fecit aquae,
 369 ut qui velocem frustra petiere puellam,
 370 dum facta est pomis tardior illa tribus,
 371 ut qui tecta novi formam celantia monstri
 372 intrarunt caecae non redeunda domus,
 373 ut quorum Aeacides misit violentus in altum
 374 corpora cum senis altera sena rogam,
 375 ut quos obscuro victos ambagibus oris
 376 legimus infandae Sphinga dedisse neci,
 377 ut qui Bistoniae templo cecidere Minervae,
 378 propter quos acies nunc quoque tecta deae est,
 379 ut qui Threicii quondam praesepia regis
 380 fecerunt dapibus sanguinolenta suis,
 381 Therodamanteos ut qui sensere leones,
 382 quique Thoanteae Taurica sacra deae,
 383 ut quos Scylla vorax Scyllaeque adversa Charybdis
 384 Dulichiae pavidos eripere rati,
 385 ut quos demisit vastam Polyphemus in alvum,
 386 ut Laestrygonias qui subiere manus,
 387 ut quos dux Poenus mersit putealibus undis
 388 et jacto canas pulvere fecit aquas,
 389 sex bis ut Icaridos famulae periere procique,
 390 inque caput domini qui dabat arma procis,
 391 ut jacet Aonio luctator ab hospite fusus,
 392 qui, mirum, victor, cum cecidisset, erat,
 393 ut quos Antaei fortes pressere lacerti,
 394 quosque ferae morti Lemnia turba dedit,
 395 ut qui post longum sacri monstrator iniqui

396 elicuit pluvias victima caesus aquas,
 397 frater ut Antaei, quo sanguine debuit, aras
 398 tinxit et exemplis occidit ipse suis,
 399 ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis
 400 impius humano viscere pavit equos,
 401 ut duo diversis sub eodem vindice caesi
 402 vulneribus Nessus Dexamenique gener,
 403 ut pronepos, Saturne, tuus quem reddere vitam
 404 urbe Coronides vidit ab ipse sua,
 405 ut Sinis et Sciron et cum Polypemone natus,
 406 quique homo parte sui, parte juvenus erat,
 407 quique trabes pressas ab humo mittebat in auras
 408 aequoris aspiciens hujus et hujus aquas,
 409 quaeque Ceres laeto vidit pereuntia vultu
 410 corpora Thesea Cercyonea manu !
 411 Haec tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,
 412 evenient aut his non leviora malis.
 413 Qualis Achaemenidis, Sicula desertus in Aetna
 414 Troica cum vidit vela venire, fuit,
 415 qualis erat nec non fortuna binominis Iri,
 416 quique tenent pontem, quae tibi major erit ;
 417 filius et Cereris frustra tibi semper ametur
 418 destituaturque tuas usque petitus opes,
 419 utque per alternos unda labente recursus
 420 subtrahitur presso mollis harena pedi,
 421 sic tua nescio qua semper fortuna liquescat
 422 lapsaque per medias effluat usque manus,
 423 utque pater solitae varias mutare figuras,
 424 plenus inextincta conficiare fame !
 425 Nec dapis humanae tibi sint fastidia, quaque
 426 parte potes, Tydeus temporis hujus eris,
 427 atque aliquid facies, a vespere Solis ad ortus
 428 cur externati rursus agantur equi.
 429 foeda Lycaoniae repetes convivia mensae
 430 temptabisque cibi fallere fraude Jovem,
 431 teque aliquis posito temptet vim numinis opto,
 432 Tantalides tu sis, Tereidesque puer,
 433 Et tua sic latos spargantur membra per agros,
 434 tamquam quae patrias detinuere vias.
 435 Aere Perilleo veros imitere juvencos
 436 ad formam tauri conveniente sono,
 437 utque ferox Phalaris lingua prius ense resecta
 438 more bovis Paphio clausus in aere gemas,
 439 dumque redire voles aevi melioris in annos,
 440 ut vetus Admeti decipiare socer,
 441 aut eques in medio mergare voragine caeni,
 442 dummodo sint fati nomina nulla tui,
 443 atque utinam pereas veluti de dentibus orti
 444 Sidonia jactis Graia per arva manu ;
 445 et quae Pytheides fecit de fratre Medusae,
 446 eveniant capiti vota sinistra tuo,
 447 et quibus exiguo volucris devota libello,
 448 corpora projecta quae sua purgat aqua.
 449 Vulnera totque feras quot dicitur ille tulisse,
 450 cujus ab inferiis culter abesse solet,
 451 attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater
 452 incitat, ad Phrygios vilia membra modos,
 453 deque viro fias nec femina nec vir, ut Attis,

454 et quatiā molli tympana rauca manu,
 455 inque pecus subito Magnae vertare Parentis,
 456 victor ut est celeri victaque versa pede,
 457 solaque Limone poenam ne senserit illam,
 458 et tua dente fero viscera carpat equus,
 459 aut, ut Cassandreus, domino non mitior illo,
 460 saucius ingesta contumuleris humo,
 461 aut, ut Abantiades aut ut Cycneius heros,
 462 clausus in aequoreas praecipiteris aquas,
 463 victima vel Phoebō sacras macteris ad aras,
 464 quam tulit a saevo Theudotus hoste necem,
 465 aut te devoveat certis Abdera diebus
 466 saxaque devotum grandine plura petant,
 467 aut Jovis infesti telo feriare trisulco,
 468 ut satus Hipponoo, Dexithoesque pater,
 469 ut soror Autonoes, ut cui matertera Maia,
 470 ut temere optatos qui male rexit equos,
 471 ut ferus Aeolides, ut sanguine natus eodem
 472 quo genita est liquidis quae caret Arctos aquis.
 473 Ut Macelo rapidis icta est cum conjuge flammis,
 474 sic, precor, aetherii vindicis igne cadas.
 475 Praedaque sis illis, quibus est Latonia Delos
 476 ante diem rapto non adeunda Thraso,
 477 quique verecundae speculantem labra Dianae,
 478 quique Crotopiaden diripere Linum ;
 479 neve venenato levius feriaris ab angue
 480 quam senis Oeagri Calliopesque nurus,
 481 quam puer Hypsipyles, quam qui cava primus acuta
 482 cuspe suspecti robora fixit equi,
 483 neve gradus adeas Elpenore cautius altos,
 484 vimque feras vini quo tulit ille modo ;
 485 tamque cadas domitus quam quisquis ad arma vocantem
 486 juvit inhumanum Thiodamanta Dryops,
 487 quam ferus ipse suo periit mactatus in antro
 488 proditus inclusae Cacus ab ore bovis,
 489 quam qui dona tulit Nesseo tincta veneno
 490 Euboicasque suo sanguine tinxit aquas !
 491 Vel de praecipiti venias in Tartara saxo,
 492 ut qui Socraticum de nece legit opus,
 493 ut qui Theseae fallacia vela carinae
 494 vidit, ut Iliaca missus ab arce puer,
 495 ut teneri nutrix, eadem matertera, Bacchi,
 496 ut cui causa necis serra reperta fuit,
 497 Lindia se scopulis ut virgo misit ab altis,
 498 dixerat Invicto quae mala verba Deo !
 499 Feta tibi occurrat patrio popularis in arvo,
 500 sitque Phalaeceae causa leaena necis,
 501 quique Lycurgiden letavit et arbore natum
 502 Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper,
 503 isque vel exanimis faciat tibi vulnus, ut illi
 504 ora super fixi quem cecidere suis,
 505 atque idem, simili pinus quem morte peremit,
 506 Phryx ac venator sis Berecyntiades.
 507 Si tua contigerit Minoas puppis harenas,
 508 te Corcyraeum Cressia turba putet,
 509 lapsuramque domum subeas ut sanguis Alevae,
 510 stella Leoprepidae cum fuit aequa viro,
 511 utque vel Evenus torrenti flumine mersus,

512 nomina des rapidae vel Tiberinus aquae,
 513 Astacidaeque modo decisa cadavere trunco
 514 digna feris, hominis sit caput esca tuum,
 515 quodque ferunt Brotean fecisse cupidine mortis,
 516 des tua succensae membra cremanda pyrae,
 517 inclususque necem cavea patiaris, ut ille
 518 non profecturae conditor historiae !
 519 Utque repertori nocuit pugnacis iambi,
 520 sic sit in exitium lingua proterva tuum,
 521 utque parum stabili qui carmine laesit Athenas,
 522 invisus pereas deficiente cibo,
 523 utque lyrae vates fertur periisse severae,
 524 causa sit exitii dextera laesa tui ;
 525 utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Orestis,
 526 tu quoque de morsu virus habente cadas ;
 527 sit tibi conjugii nox prima novissima vitae :
 528 Eupolis hoc periit et nova nupta modo ;
 529 utque coturnatum periisse Lycophrona narrant,
 530 haereat in fibris fixa sagitta tuis,
 531 aut lacer in silva manibus spargare tuorum,
 532 sparsus ut est Thebis angue creatus avo,
 533 perque feros montes tauro rapiente traharis,
 534 ut tracta est conjunx imperiosa Lyci,
 535 quodque suae passa est paelex invita sororis,
 536 excidat ante pedes lingua resecta tuos ;
 537 conditor ut tardae laesus cognomine Myrrhae,
 538 urbis in innumeris invenire locis,
 539 inque tuis opifex, vati quod fecit Achaeo,
 540 noxia luminibus spicula condat apis,
 541 fixus et in duris carparis viscera saxi,
 542 ut cui Pyrrha sui filia fratris erat ;
 543 ut puer Harpagides, referas exempla Thyestae,
 544 inque tui caesus viscera patris eas ;
 545 trunca geras saevo mutilatis partibus ense,
 546 qualia Mamerci membra fuisse ferunt,
 547 utve Syracosio praestricta fauce poetae,
 548 sic animae laqueo sit via clausa tuae,
 549 nudave derepta pateant tua viscera pelle,
 550 ut Phrygium cujus nomina flumen habet.
 551 Saxificae videas infelix ora Medusae,
 552 Cephenum multos quae dedit una neci ;
 553 Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum,
 554 inque maris salias, Glaucus ut alter, aquas,
 555 utque duobus idem dictis modo nomen habenti,
 556 praefocent animae Gnosia mella viam,
 557 sollicitoque bibas, Anyti doctissimus olim
 558 imperturbato quod bibit ore reus.
 559 Nec tibi, si quid amas, felicius Haemone cedat,
 560 utque sua Macareus, sic potiari tua,
 561 vel videas quod, jam cum flammae cuncta tenerent,
 562 Hectoreus patria vidit in urbe puer ;
 563 sanguine probra luas, ut avo genitore creatus,
 564 per facinus soror est cui sua facta parens,
 565 ossibus inque tuis teli genus haereat illud
 566 traditur Icarium quo cecidisse gener,
 567 utque loquax in equo est elisum guttur acerno,
 568 sic tibi claudatur pollice vocis iter ;
 569 aut, ut Anaxarchus, pila minuaris in alta

570 ictaque pro solitis frugibus ossa sonent,
 571 utque patrem Psamathes, condat te Phoebus in ima
 572 Tartara, quod natae fecerat ille suae,
 573 inque tuos ea pestis eat quam dextra Coroebi
 574 vicit opem miseris Argolicisque tulit,
 575 utque nepos Aethrae Veneris moriturus ob iram,
 576 exul ab attonitis excutiaris equis !
 577 Propter opes magnas ut perdidit hospes alumnum,
 578 perdat ob exiguas te tuus hospes opes,
 579 utque ferunt fratres sex cum Damasichthone caesos,
 580 intereat tecum sic genus omne tuum !
 581 Addidit ut fidicen miseris sua funera natis,
 582 sic tibi sint vitae taedia justa tuae,
 583 utve soror Pelopis saxo dureris oborto
 584 et laesus lingua Battus ab ipse sua !
 585 Aera si misso vacuum jaculabere disco,
 586 quo puer Oebalides, ictus ab orbe cadas ;
 587 siqua per alternos pulsabitur unda lacertos,
 588 omnis Abydena sit tibi pejor aqua.
 589 Comicus ut liquidis periit, dum nabat, in undis,
 590 et tua sic Stygius strangulet ora liquor,
 591 aut, ubi ventosum superaris naufragus aequor,
 592 contacta pereas, ut Palinurus, humo,
 593 utque coturnatum vatem tutela Dianae,
 594 dilaniet vigilum te quoque turba canum,
 595 aut, ut Trinacrius, salias super ora Gigantis,
 596 plurima qua flammis Sicanis Aetna vomit,
 597 diripiantque tuos insanis unguibus artus
 598 Strymoniae matres Orpheos esse ratae !
 599 Natus ut Althaeae flammis absentibus arsit,
 600 sic tuus ardescat stipitis igne rogas ;
 601 ut nova Phasiaca comprehensa est nupta corona,
 602 utque pater nuptae cumque parente domus,
 603 ut cruor Herculeos abiit diffusus in artus,
 604 corpora pestiferum sic tua virus edat !
 605 Qua sua Penteliden proles est ultra Lycurgum,
 606 haec maneat teli te quoque plaga novi,
 607 utque Milo robur diducere fissile temptes,
 608 nec possis captas inde referre manus ;
 609 muneribusque tuis laedaris, ut Icarus in quem
 610 intulit armatas ebria turba manus,
 611 quodque dolore necis patriae pia filia fecit,
 612 vincula per laquei fac tibi guttur eat,
 613 obstructoque famem patiaris limine tecti,
 614 ut legem poenae cui dedit ipsa parens !
 615 Illius exemplo violes simulacra Minervae,
 616 Aulidis a portu qui leve vertit iter,
 617 Naupliadaeve modo poenas pro crimine ficto
 618 morte luas nec te non meruisse juvet !
 619 Aethalon ut vita spoliavit Isindius hospes,
 620 quem memor a sacris nunc quoque pellit Ion,
 621 utque Melanthea tenebris a caede latentem
 622 prodidit officio luminis ipsa parens,
 623 sic tua coniectis fodiantur viscera telis,
 624 sic, precor, auxiliis impedire tuis !
 625 Qualis equos pacto, quos fortis agebat Achilles,
 626 acta Phrygi timido, nox tibi talis eat,
 627 nec tu quam Rhesus somno meliore quiescas,

628 quam comites Rhesi tum necis, ante viae,
629 quam quos cum Rutulo morti Rhamneta dederunt
630 impiger Hyrtacides Hyrtacidaeque comes,
631 Cliniadaeve modo, circumdatus ignibus atris
632 membra feras Stygiae semicremata neci,
633 utque Remo muros auso transire recentes,
634 noxia sint capiti rustica tela tuo ;
635 denique Sarmaticas inter Geticasque sagittas
636 his precor ut vivas et moriari locis !
637 Haec tibi tantisper subito sint missa libello,
638 immemores ne nos esse querare tui,
639 pauca quidem, fateor, sed di dent plura rogatis
640 multiplicentque suo vota favore mea.
641 Postmodo plura leges et nomen habentia verum
642 et pede quo debent acria bella geri.